




Biblioteca  Valenciana



31000005093359

XVIII
~~XXXXXXXXXXXX~~
1317

TURIAE MARMOR
NUPER EFFOSSVM:
SIVE
DISSERTATIO
CRITICA,
DE
VALENTINO SODALICIO
VERNARVM COLENTIVM
ISIDEM.

AVCTORE
AUGUSTINO SALESIO,
*Sac. Theol. Doctore, Sacerdote Valentino,
Urbis, Regnique Historiographo.*

VALENTIAE.

Apud Josephum Thomam Lucas, in platea
Comoediar. Ann. M.DCC.LX.

Ceterum accusator fatetur :: ut Pompejus in Hispaniam venerit :: accerrimis illis proeliis, & maximis Sucronensi, & DURIENSI interfuisse. (Cicero, pro L. Cornelio Balbo Gaditano.)

Inter laeva moenium, & dextrum flumen TURIAM, quod Valentiam parvo intervallo praeterfluit :: Proelium apud flumen DURIVM, & Dux hostium C. Herennius cum Urbe Valentia, & Exercitu delicti, satis clara vobis sunt. (Sallustius in fragm. lib. ii. & iii.)

Regio AEdetana amoeno praetendente se stagno ad Celtiberos recedens, Valentia COLONIA, III. M. pass. à mari remota : flumen DURIAS. (Plin. Histor. lib. iii. cap. iii.) Eruditissimus Andreas Straneus in laboriosissimis Annotationibus ad Plinium apud celeberrimum Majansium, & in Bibliotheca Collegii Corporis Christi, ita scripsit : Durias, forte TURIA. Decepit Librarium in eadem Hispania flumen Durias Lusitaniae.

Floribus, & roseis formosus TURIA ripis. (Claudian. de laud. Serenæ.)

EXC.^{MO} DOMINO

D. LEOPOLDO
GREGORIO,

MARCHIONI IN SQUILACIO,
cet. Summi Castrorum Ducis Vicario
honorario ; Catholici Hispaniarum
Regis publicis Rationibus Praefecto,
Ipsi à Secretis, intimisque Status Con-
siliis ; Supremaeque Curiae Regiae
Administro , cet. cet.

*Augustinus Salesius, Sac. Theolog. Doctor,
& Sacerdos Valentinus, Urbis, Reg-
nique Historiographus,*

S. P. D.



IGNORO (*Marchio Excel-
lentissime*) cur DISSER-
TATIONES *meas* CRITI-
CAS *pro* Ven. Joanne
Ribera Patriarcha An-
tiocheno, *circa res omnium gravissi-
mas;*

A 2

mas;

*mas ; de Hispaniae , Valentinis prae-
sertim Conciliis nondum editis ; de
Ducato Valentino , cet. Roma doctis-
sima magnopere extulerit , atque etiam
Lutetia Parisiorum , alias , de nostri
Regni Inscriptionibus ineditis , quas
urgente Excmo. Cailucio hujus Regni
summo Duce , non ita pridem ex-
tincto , diligenter confeceram ; cum tamen
paucissimi nostrum , hoc differendi ge-
nus , nempe criticam , & eruditionem
profiteantur , caeteris acerbè insultanti-
bus ? Vereor ne sit , propterea quod ve-
tustatis perscrutationem vulgus non ca-
piat , quaestuariis solis literis (quae
in pretio sunt) & propria secta con-
tentum ; aut quod utilitate , & lucro
studia metiens , inanes putet artes (ut
sunt eruditae) quae in hac Urbe proven-
tu carent. Quod profectò maximè do-
lendum esset : nam Mariana vir insig-
nis , qui tamen fuit Carpetaniae re-
gionis , hoc tulit de gente nostra testi-
monium : Valentinis prae caeteris His-
paniae populis ingenium acre , & vi-*

vidum caelo datum agnoscimus. Sed quantum intersit Critices, & antiquitatis studia fovère, sat nosti, Excellentiss. Marchio. Cum, quod in medio Latio, tanti videris haec facta studia, uti Raphaelis Fabretti, Philippi a Turre, Muratorii, aliorumque Commentaria produunt. Tum, quod te impellente, Cl. Antonius Franciscus Gorius, Basilicae Florentinae Praepositus, & Lycei Florentini historiae Professor, aliique Viri Eruditissimi, Herculani ruderibus, quae anno MDCCXLVIII. apparuerunt, ex praescripto Sapientissimi Regis nostri CAROLI III. tantum lucis, & splendoris attulerint, & complere pergant. Iccircò, cum ISIDIS Marmor effosum fuerit, quo die Rex noster invictus Hispaniam suam tenuit; illustratum à me, qui sine proventu, genio indulgens, & publico muneri, severioribus literis incumbo, hoc Commentarium, Marchio nobilissime, & ornatissime, ad te mittere constitui, hisce studiis addictum, qui cum Rege nostro

Po-

Potentissimo , juxta ac Clementissimo
gaudia socians , Iter in Hispaniam , cu-
jus adventum gratulamur , unà exe-
quutus es. Exiguum hoc munus. Non
diffiteor. Sed illud pulcherrimum , &
humanissimum censendum est, quod Prin-
cipes , prout Tu , acutissimi supra cap-
tum ingenii , qui summis generibus natus
es , totque disciplinis excultus , muni-
ficentiam, non oblatae rei pretio , & dig-
nitate, sed offerentis affectu , & facultate
metiuntur. Nec verò par erat diutius
te morari , qui animum adeò occupas in
negotiis publicis, quae Hispanici Imperii
majestatem concernunt , ut jure possim
Terentianum illud Tibi aptare:

denique
Nullū remittis tēpus, neq̄ Te respicis.

Accipe ergo , Marchio Excellentiss. hanc
meae erga Te observantiae , & gratu-
lationis tesseram , facque tuo auspicio
ut res publica , & literaria in opti-
mum statum vertat ; insignisque no-
stra

stra Academia, dummodò Magni Ludovici Vives sui, qui Scholam componens, disciplinas tradidit, & causas corruptarum artium designavit, Critices praeceptis insistat, honore, gloria, & fulgore niteat. Valentiae Edetanorum, VI. Calend. Februar. anni MDCCLX.

DIS.

GREG.

GREG. MAJANSII, GENEROSI
Valentini.

CENSURA

Ex delegatione Ordinarii Ecclesiastici.

Augustini Salesii, Doctoris Theologi, Urbis Valentiae Regnique Historici, *Dissertationem Criticam de Valentino Sodalicio Vernarum colentium Isidem*, libenti animo legi. Argumentum est eximium; rerum varietas, & amoenitas, grata; eruditio, multiplex: uno verbo, opus, dignum, quod luce publicâ fruatur. Ita censeo Olivae, VII. Cal. Februaris Anni MDCCLX.

Greg. Majansius, Generosus Valentinus.

IHS. Imprim.
Dr. Albornòz, Vic. Gen.

DIS-



DISSERTATIO

CRITICA,

DE VALENTINO SODALICIO

VERNARUM COLENTIUM ISIDEM.



ERDINANDO VI. Borbonio, piissimo Hispaniarum Rege sublato, CAROLUS III. Borbonius, frater, Neapolis, & Siciliae Rex, hostium dormitor semper invictus, suffecto in ejus locum Ferdinando filio, ad obtinendum Regnum, quod ei jure haereditario obtigerat, parata instructissima classe, Hispaniam cogitavit. Quo die Barcinonem appulit XVI. Kal. Novembr. labentis jam anni MDCCLIX. ISIS, navigationibus praeposita, quae, ut veteres fabulantur, velificia primum invenit, rateque velificavit dum filium suum Harpocratem quaereret, Valentinos monere visa est (fas sit prae gaudio insanire) Regem nostrum Sapientem & Magnanimum incolu-

lumem pervenisse. Namque ipso die, è formosi
 TURIAE visceribus, immanis lapis ater, so-
 lidissimus is quidem, ex lapicidinis, ut ferunt,
 quae non procul Sagunto extant, repertus
 est, longitudinis palmorum septem, altitudinis
 trium, cum lapicidae solitis ferramentis parva
 quaedam rudera fermè attrita, quae annis om-
 nium amoenitatum parentis, fluenta, & ripam
 interfunt, effoderent. Inventum est marmor,
 quamvis non dubitem quin olim similis generis
 apud nos erutum, ferè infra quartam pilam moe-
 nium, quibus flumen includitur, & quam inve-
 nias si ex Cymba lapidea noviter extracta per si-
 nistrum cornu Urbem versus rectà progrediaris.
 Nec merito suo fraudandus est Emmanuel Go-
 mezius Sacerdos Valentinus, Sac. Theologiae
 Doctor, vir doctus, qui lapidem erutum pri-
 mus inspexit, requiescens, cum satis esset deam-
 bulatum, & per Ignatium Bellidum Sac. Theo-
 logiae Doctorem, sodalem, me admonuit. In-
 signis ergo Inscriptio Idibus Novemb. seu po-
 stridie, à me accuratè transcripta haec est:

SODALICIUM ::::

VERNARVM

COLENTES ISID::::

Inscriptio quidem lepidissima est, veramque ser-
 vat orthographiam, quae nisi excipias Janũ Gru-
 terum Bibliothecae Palatinae Praefectum (*Ins-
 cript.*

cript. pag. 35. n. 5. pag. 111. n. 10. pag. 624. num. 8.) & unum, aut alterum, ferè omnes Auctores hucusque latuit. Est etiam perfectissima, si sensum, & Grammaticam spectes; & *Sodalitium colentes*, venustus est atque elegantissimus per syllepsim loquendi modus. Exempla hinc inde congesta, Viri sapientissimi, Brocensis, Scioppius, & Vossius prodiderunt. Quam effusè animus meus exultaverit novo hoc vetustatis thesauro, vix exprimere possum. Illud scio, incitatum me antiquitatis amore, & nescio qua perfusum dulcedine, incredibili diligentia ad domum perrexisse Illustris Viri Joannis Rato, Canonici Valentini, Archidiaconi Saguntini, & hujus Regni Cancellarii, qui fabricae Muro-rum & Cloacarum Praefectus erat. Huic igitur, cujus propterea intererat, & scripto, & verbis rem omnem aperui, simulque obsecravi, ut dignaretur projectum marmor fatuis quibuscumque objectum, inde extrahere, & in tuto locare, ne tantum antiquitatis lumen upupae ictibus, quibus jam illi duas litteras corraserant, & ultimam expunxerant, perpetua oblivione deperiret. Nam marmor frustatim dissectum, dedolabant Barbari, ne hilo quidem pendentes, capsellis illis incrustandis, quae incorruptè servant herbae pulverem, qui à Tabaci Insula usurpat nomen, quique cerebrum roborat per meatus narium illatus. Simul sponpondi ei explicare Inscriptio-

nis

nis mysteria. Annuit vir prudens, & antiquitatis amantissimus. Eamque conclusit in Villam Seminarii Valentini Soc. Jesu, in quo clari Tirones, & ex Senatus consulto Juventus, à sacri hujus Instituti hominibus & literis & moribus instruuntur. Atque ita mea curatione Inscriptio ISIDIS, iisdem Idibus Novembris, in umbrante vespera, de stultorum feriis triumphavit, nec procul à fluminis moenibus constituta. Nunc jam, quo fides firmior sit, servare promissa debeo, atque studio parendi clarissimo illi Viro, tantae antiquitatis conservatori, in medium proferam quicquid ad illustrandam Inscriptiorem ad miraculum celeberrimam pertinere mihi videtur. Profectò in ea sum sententia TURIAE deliciarum Beatissimae Urbis nostrae parenti, tantum gloriae accessisse ob ISIDIS Inscriptiorem, quantum dignitatis, ob Sertorii pugnam acerrimam adversus Metellum, & Pompejum; & celebritatis ob mentionem quam ejus habuerunt Cicero, Sallustius, Plutarchus, Plinius, Claudianus. Jam quae ad rem attingunt. ISIDIS igitur Simulacrum muliebre est, Bubulis praeditum cornibus, quaemadmodum Io Graeci describunt. Est autem ISIS, quae Graeca lingua dicitur $\Delta\mu\eta\tau\eta\rho$ id est, CERES. Apollinem & Dianam ajunt Aegyptii, Dionysii, & ISIDIS filios esse, & Apollo EAgyp-
tia-

tiacè ORUS dicitur, *Ceres* autem, ISIS; Diana verò, *Babastis*. In Urbe *Busiri* maximum erat Templum ISIDIS, ipsa in medio Deltae Aegypti sita, quemadmodum supponit Herodotus, (lib. 2. Euterp.) qui insuper addit, Cyrenaeas foeminas ISIDI, quae erat in Aegypto, jejunia & dies festos sua tempestate studiosè egisse. (lib. iv. Melpom.) In Bibliotheca sua historica, uberius rem nostram Diodorus Siculus declaravit, cum scribit, vetustissimos in Aegypto mortales mundum supra se contemplatos, & non sine stupore demiratos universi naturam, duos esse Deos existimasse aeternos, & primos, SOLEM quippe, & LUNAM, quorum istum OSIRIDEM, hanc ISIDEM appellarint; quorum Eumolpus in Bacchicis carminibus meminit:

Sidereum Dionysum igni radiante coruscum.

ISIDEM verò interpretatum fuisse *antiquam*, quod nomen ab aeterna & antiqua generatione ei sit impositum. Cornuaque ei addunt, quia talis Lunae aspectus est quando falcis imagine crescit, & decrescit, & quia Bovem apud Aegyptios consecratam habet. Hos itaque Deos mundum universum gubernare statuunt, nutrientes & augentes omnia (utpote ISIS terra) tripartitis anni temporibus, Vere, Aestate, Autumno. Ideoque totum naturae corpus SOLE, qui spiritus est, & ignis, LUNAque, quae humor est, (terra) & siccitas consummari. Insuper Osiri-

ri-

ridem, Bacchum significare (interdum Serapine apud Phoenices five Chananaeos est BAAL) ISIDEM quam proximè Cererem. Epigraphen ISIDIS columellæ sacris literis insculptam Nyfae Arabiae oppido , ad quam plerique hujusce Deae sepulchrum transtulerunt , jam subjicio: EGO ISIS SUM REGINA HUIUS REGIONIS , A MERCURIO ERUDITA. QUAE LEGE PER ME SANCITA SUNT , NEMO SOLVERE POTEST. EGO SATURNI NOVISSIMI DEI FILIA SUM , NATU MAXIMA. EGO SUM OSIRIDIS REGIS UXOR , ET SOROR. EGO SUM ILLA QUAE PRIMA FRUGES MORTALIBUS REPERIT. EGO REGIS HORI MATER SUM. EGO SUM QUAE IN CANIS SIDERE EXORITUR. MIHI BUBASTOS URBS AEDIFICATA. VALE , GAUDE , AEGYPTE , MEA NUTRIX. (Diodorus , l. i. cap. xi. xxv. xxvii.) Primo, & ultimo Inscriptionis hujus verborum ambitui respondit sic canens Papinius Stadius (Sylvar. l. 3. v. 102.):

Nunc Regina Phari, Numenque Orientis anhel.

ISIS eadem , ita loquitur apud Apulejum (Metamorph. lib. 11.) : Ego sum rerum natura parens , elementorum omnium Domina , saeculorum progenies initialis , summa Numinum , regina Manium , prima Caelitum Deorum Dearumque , facies uniformis , quae Caeli luminosa culmina , maris salubria flamina , inferum deplorata silentia nutibus meis

meis dispenso. Cujus numen unicum multiforme specie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur Orbis. Inde primigenii Phryges Pessinunticam nominant Deum matrem, hinc autochthones Attici Caecropejam Minervam, illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem, Cretes sagittiferi Dictynniam Dianam, Siculi trilingues Stygiam Proserpinam, Eleusini vetustam Deam Cererem, Junonem alii, alii Bellonam, alii Hecaten, Rhamnusiā alii, & qui nascenti diei Solis incohantibus illustrantur radiis Aethiopes, Ariūque priscaque doctrina pollentes Aegyptii caeremoniis me propriis percolentes appellant vero nomine Reginam ISIDEM. Omitto quae Plutarchus attulit, in suo de Iside, & Osiride, cum perspicua sint, & clara omnibus. At non est praetermittendus M. Terentius Varro, eam ajens, quae in Aegypto ISIS, apud Phoenicas vocari Astarthe (de ling. lat. l. iv.) Et profecto Lucianus, in Dea Syria, & Herodianus in Helio- gabalo (lib. v.) Astarthem, Lunam existimaverunt: cujus figuram prisca Phoenicum historia quam Sanchoniaton deduxit, sic apud Eusebium expressit: Imposuit autem Astarthe capiti suo regale insigne, Tauri caput. (Praepar. Evang. l. i. cap. vi. & vii.) Eamdem Astarthem capite Bovino, unā & cornuto super indutam, tanquam regium insigne, cornua Lunae exhibentem descripsit Porphyrius: quo pariter capitis ornamento decoratam vidimus Deam ISIDEM apud He-

He-

Herodotum. *Astarthem* igitur, plurali numero *Astaroth* Deam Sidoniorum, coluit, & infatuatus adoravit Rex Salomon. (3. Reg. 11. v. 5. 33. & 4. Reg. 23. v. 13.) Rursumque, ut divinae Scripturae profitentur Judaei, omnipotenti Numini plerumque facti abominabiles, *servientes Baalim*, & *Astaroth*. Carent illi peculiari nomine ad Deam significandam: Cum vero *ISIS* pingatur capite, vel cornibus Bovinis, pronum est judicare, *Vituli aurei* occultata nomine, Hebraeos annuente Aarone, *ISIDEM* adorasse. (Exod. cap. 32.) De Dea ista, ubi de Diis qui sunt in Aegypto, tractavit Leo, (scribit Clemens Alexandrinus) dicitque, *ISIDEM à Graecis vocari CEREREM, quae fuit tempore Lyncei, undecima generatione post Mosen.* (Stromatum lib. 1. c. x. num. 30.)

Ciceronis aetate, ut reor, nondum *ISIDIS* cultus Romam illatus fuerat, cum ita, quin tamen *ISIDEM* nominaverit depinxerit, (De Natur. Deor. l. 2.) quae eadem profecto sunt, Lunam, Cereremque: Multaque ab ea (Luna) manant & fluunt, quibus & animantes alantur, augecantque, & pubescant, maturitatemque assequantur, quae oriuntur à terra. Maxime vero sunt admirabiles motus earum quinque Stellarum, quae falsò vocantur errantes: nihil enim errat, quod in omni aeternitate conservat progressus, & regressus. Pergit differere de Sideribus, ac multitudine

nec

nec cessantium Deorum, & subjungit: *Multae autem aliae naturae Deorum ex magnis beneficiis eorum non sine causa, & à Graeciae sapientibus, & à majoribus nostris constitutae, nominataeque sunt. Quidquid magnam utilitatem generi afferret humano, id non sine divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. Itaque tum illud, quod erat à Deo natum, nomine ipsius Dei nuncupabant: ut cum fruges CEREREM appellamus, vinum autem Liberum: ex quo illud Terentii:*

Sine Cerere, & Libero friget Venus.

Suspikor ISIDEM à Cicerone praetermissam quòd aetate sua anno U. C. DCXCV. L. Calpurnio Pisone, & A. Gabinio Coss. curia Deorum, unà cum Serapide, & Harpocrate, cum suo Cynocephalo pulsa fuerit, & prohibita Capitolio inferri, ut loquitur Tertullianus. (*Apolog. advers. Gentes*, cap. vi.) Sic igitur, ubi Dii selecti altè infederant, Peregrini rejecti, & expulsi. Quod autem illi coeperunt aris dictorum Deorum everfis, perfectum videtur anno U. C. DCCIII. Coss. L. AEmilio Paulo, & C. Claudio Marcello, ipso vivente Cicerone: L. AEmilius Paulus Consul, (inquit Valerius Maximus) cum Senatus ISIDIS, & Serapis fana diruenda censuisset, eaque nemo opificum attingere auderet, posita praetexta securim arripuit, Templique ejus foribus inflixit. (L. 1. de Peregr. Relig. rejecta, cap. 3.) Sed & AUGUSTI temporibus ISIS Romae

restituta est. Sacra ejus observabantur decem
 continuis diebus, continentia ritè servata, ca-
 pitis dolores foeminis fingentibus, si viri urgé-
 rent. Iccircò Ovidius conquestus est, sic canens
 de Amica: (Amor. l. i. Eleg. viii.)

Saepe nega noctes : capitis modo finge dolorem:

Et modo quae causas praebeat, ISIS erit.

Eamdem solemnitatem, ad Cynthiam scribens,
 maledictis proscindit Propertius (lib. ii.)

Tristia jam redeunt iterum solemnia nobis,

Cynthia jam noctes est operata decem.

Atque utinam Nilo pereat quae sacra tepente

Misit Matronis Inachis Ausoniis.

TIBERIO postea imperante, cum Romae in
 sacris ISIDIS, in illustri Paulina Deae hujus cul-
 tui vehemēter addicta summa turpitudine depre-
 hensa esset, Sacrifici in crucem acti sunt, diru-
 toque Templo Statua ISIDIS, Principis jussu, in
 Tiberim merfa est, uti narrat Josephus. (Antiq.
 Judaic. lib. xviii. cap. iv.) Sicque, externas ce-
 rimonias, Aegyptios ritus Tiberius compes-
 cuit, coactis qui superstitione ea tenebantur re-
 ligiosas vestes cum instrumento omni combure-
 re, ut scribit Suetonius. (in Tiberio, cap. xxxvi.)
 Nihilominus sacra haec eadem, restaurata jam
 erant NERONIS tempore, cum ea ita expref-
 ferit Lucanus lib. viii. de Aegypto loquens,
 Pompeiique fata plangens:

Nos

*Nos in templa tuam Romana accepimus ISIN,
Semideosque canes, & sinistra iubentia luctus,
Et quem tu plangens hominem testaris Osirim.*

OTHO, quoque Imperator, sacra haec Isis, saepè in lintea, religiosaque veste propalam celebrabat, testante in ejus vita Suetonio: atque ita adeo cultus ejus dilatatus est, ut VESPASIANI aetate Harpocratem, Statuasque Aegyptiorum Numinum in digitis Viri quoque portare incoeperint, ut Plinius loquitur; (Histor. natur. l. xxx.) & DOMITIANUS latere non erubuerit Isiaci celatus habitu dum in Capitolium irrumperent Vitelliani. (Sueton. in Domit. c. i.) COMMODUS etiam Antoninus, Sacra Isis coluit, ut & caput raderet, & Anubim portaret, uti Aelius Lampridius literis consignavit. Sed & Antoninus CARACALLA, Sacra ISIDIS Romam deportavit, & Tempa ubique magnificè eidem Deae fecit, ut prodit Spartianus: non tamen quod celebritatem primus invexerit, sed quod eidem plura addiderit. Tertulliani demum aetate, Libero, Serapidi, ISIDI, Harpocrati silentii numini, cum suo Cynocephalo canini capitis Deo, qui ipse erat latrator Anubis, Romani summam contulerant majestatem. (Apologet. cap. vi.)

Quibus tamen temporibus ISIS caepta fuerit apud Hispanos adorari; sicuti vix dicere ausim, ita credo cum Romanorum armis victricibus,

potissimum Augusti temporibus post omninò receptas Hispanias cultum Romae restitutum, per Imperii Provincias coepisse propagari. Id nos ex Gallia Hispaniae contermina Provincia didicimus, quae cum Julii Caesaris aetate Deos coleret Mercurium, Apollinem, Martem, Jovem, & Minervam, ut ipsemet retulit *de Bello Gallico*; (lib. vi. cap. xvii.) non multò post, si Morellio Gallo fides sit adhibenda, quod tamen suspicor, ISIDEM induxit. Quare ergo iisdem temporibus Isidis cultum non jam apud nostrates inductum? Praesertim cum nostrae Inscriptionis laconismus, qui verbis paucissimis plura complectitur, necnon vetustissimi ejusdem litterarum apices, referant Augusti aetatem? Suadent quoque veteres Inscriptiones. In Urbe Tarraconensi, quae à C. Caesare Colonia videtur deducta, quae nummos AVGVSTO DEO consecravit, quaeque Melae aetate Urbs erat in Hispaniae Mediterraneis oris, maritimarum opulentissima, hanc sacravit Clodia Osiana:

ISIDI AVG
SACRVM
IN HONOREM
ET MEMORIAM
JVLIAE SABINAE
CLOD. OSIANA
MATER.

Basim Statuae ISIDIS Puerperae, seu Io, postquam

quam Epaphum peperit, quam Hispali accuratè diligenterque delineandam curaverat celeberrimus Emmanuel Martinus Alonensis Decanus, misit hic Cl. Vir ad Bernardum Mont-fauconium, unà cum Inscriptione ISIDIS lepidissima. In illa habemus Anubidis hinc Simulacrum novo gestamine. nempe clava. atqui ibidem illam πολυδρυλλυτον. Inde verò, sive Osiridem, sive Numen aliud Niloticum, cum subjecto Apide. Basis haec tamen cum Inscriptione, Acci olim advecta fuit: Ecce initium:

ISIDI PVEI:::~::~

IVSSV. DEI. NE:::~::~

FABIA. L. F. FABIANA. AVIA

IN HONOREM AVTIAE NEPTIS

PIISSIMAE. EX. ARG. P. CXIIS: ———

&c.

Aliam quidem nec minus insignem, eidem Deae Accitani sacrarunt, quam inventam in agro Accitano, sic damus ab erudito Thoma Legionensi Jesuitarum Sodali transcriptam.

LIVIA CHALCEDONICA

ISIDI DEAE D.

H. S. E.

ORNATA VT POTVIT

IN COLLO H MONILE

GEMMEVM. IN DIGITIS

SMARAGD. XX. DEXTR.

Quin

Quin tamen praetereamus Isidis quoque cultum apud Braccarenfes in Lusitania, juxta Gruterianam Inſcriptionem, (Inſcript. pag. 83. num. 7.) invaluiſſe.

Hiſce ergo temporibus putaverim à Romanis Deae ISIDIS cultum VALENTIAM illatum : antea verò apud Hiſpanos cultam minimè crediderim, quantumvis contra ſentiat Henricus Floretius. Namque numiſmata Municipiorum, & Coloniarum Acinipo, Afido, Ambae, Bailo, Caurae, Cartejae, Carbulae, Gades, Ili-pae, Iliplae, Itucci, Obulco, Oripo, Romulae, Saetabis, Uliae, Urſo, inſigne licet Lunae praetulerint, antequam Romani (quod falſum arbitror) Hiſpania potirentur; idem ſignum obſervamus in Saguntinis, in quibus non ISIDEM, ſed Dianam dumtaxat denotari, deducas ex Plinio, ita ſcribente : *In Hiſpania Sagunti ajunt, Templum Dianae à Zacyntho advectae cum conditoribus, annis ducentis ante excidium Trojae, ut Auctor eſt Bochus, infraque oppidum ipſum id haberi. Cui pepercit religione inductus Annibal, juniperi trabibus etiam nunc durantibus.* (lib. xvi. cap. xl.) Templi hujus, infra oppidum, ſacrarii pavimentum muſaico opere inſigne, effoſum eſt mense Majo ann. MDCCXLV. & à me explanatum oculato teſte, Regi noſtro potentiffimo Philippo V. explanatio tradita fuit, quamvis honores alius tulerit. Favent, quae Scholani aeta-

te

te Inscriptiones **DIANA**E, supererant; nunc una tantum, quam cum literis lepidissimis, Baroni Schombergio misit Clar. Gregorius Majan-
fius, omnium disciplinarum peritissimus, Mu-
sarum, & Hispanorum gloria. (lib. iii. Epistol.
xxv. pag. 148.) Praeterea observatur in Caesa-
rum Monetis, Marciae Otaciliae, Saloninae, &
Severinae Augustarum ejusdem Lunae insigne,
quin **ISIDEM** unquam referant; quod jurè à
Floretio non erat praetermittendum. Atque haec
de **ISIDE**, pro illustranda nostra Inscriptio-
ne caeteris, ut reor Hispaniae antiquiore, ex
qua novimus, quin aliud supersit monumen-
tum, hanc Deam à Valentinis Romanae super-
stitutionis temporibus, cultam fuisse.

At quo demum ritu? explicare jam conor,
ut tandem quid à **VERNIS** praestaretur palam
fiat. Aegyptii hanc Deam, ut antè praediximus,
summa veneratione coluerunt, eique maximum
festum celebrabant. Ritus hujusmodi. Postea
quam jejunaverant pridie diei festi, atque ob-
dormierant, Bovem immolabant, eumque co-
rio exuebant, & alvo tota vacuabant. Intestina
intra ventrem adipemque linquentes crura trun-
cabant, & extremos lumbos, armosque, ac cer-
vicem. His actis reliquum Bovis corpus stipa-
bant panibus puris, & melle, & uva passa, &
ficis, & thure, & myrrha, aliisque odoribus.
Ubi haec infarferunt, adolebant, multum vini,
olei-

oleique infundentes : jejuni tamen priusquam sacrificarent. Dum ardebat sacrificium, verberabantur omnes, cuncti, & cunctae multa sanè hominum millia; pòst, dapes ex sacrificii reliquiis proponebantur. Boves quidem mares eodemque mundos, ac vitulos immolabāt AEGYPTII: at foeminas immolare non licebat, utpote ISIDI consecratas; cujus simulacrum muliebri, bubulis cornibus praeditum, eratque cornuta vacca. (Herodot. testis, lib. i. Euterp.) Alia insuper solemnitatem hanc Deam distinxerunt ob fruges ab ea inventas. Namque pro testimonio inventarum frugum, messis tempore oblati spicarum primitiis, Incolae juxta manipulos plangebant, ISIDEMque invocabant, Sistris reor, jubentibus luctus. In pompa, tritici & hordei vascula circumferebant ad primitus Deae industria repertorum memoriam; (Diodor. Sicul. Biblioth. l. i. cap. xiii.) & ob medicinam fermè ab eadem inventam, totius Orbis fama celebrabatur. (Ibid. cap. xv.) Ex Orphei, & Pythagorae disciplina, qui lanca omnia in rebus divinis, ut impura, & prophana damnabant, ISIACI Sacrificuli lineo habitu induebantur, atque sic Domitianus, Tacito scribente, scrutantibus latuit. Sed & Juvenalis Satyr. vi. Ifiacorum gregem linigerum pariter, & ab amictu, & quod caput raderent, calvum vocat:

Er-

*Ergo hic praecipuum, summumque meretur honorem,
Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo
Plangentis populi currit derisor Anubis.*

*Ille petit veniam, quoties non abstinet uxor
Concubitu, sacris observandisque diebus.*

&c.

Decem quippe diebus sacra nocturna in Templo ISIDIS mulieres peragebant, quin eò liceret Viris accedere. Haec causa, quam praediximus, querelarum Ovidii, & Propertii, & poenitudinis, quam significant Lucanus, & Juvenalis. Certus insuper erat dies quo ISIDIS Navigium celebrabatur, quod Apulejo teste, Sacerdotes sacrificabant; quae res docet non transisse illam, sed navigasse, (Lactant. de falsa relig. l. i.) quod etiam admonuit Cornelius Tacitus, de Germanis sic differens: *Pars Suevorum & ISIDI sacrificant :: unde & causa & origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum in modum liburnae figuratum, docet advectam religionem.* Ideò praesse navigationibus putabatur, & cursus in mari dirigere. Sic enim Luciano referente, Jovis ad Mercurium: „ Ipsam vero Iún per Mare in Aegyptum ducito, & facito ISIN: ac deinceps sit illis hominibus Numen. Inducat ipsa Nilum, ventos immittat, & navigantes fervet. De hoc praeterca festo Apulejus. (lib. xi.) Circa quod adeundus est magnus meus, & immortalitate dig-

dignissimus Ludovicus Vives. (Comment. l. xviii. de Civit. Dei, cap. iii.) In sacris tamen ISIDIS reconditis, & arcanis venerandis, multa erant turpissima, execranda, flagitiorum, & scelerum plena, quae ad inferna quoque, idest, Erebi arcana, sacra spectabant. Multa impiissima patrabant; mox carmina fundebant contra Deos ipsos, adversus quos Sacerdotes „ violentis minis utebantur, veluti: Ni vos ita „ feceritis, aut contra, caelos confringam, vel „ occulta ISIDIS patefaciam, vel arcanum in „ abyfso reconditum divulgabo; aut fistam Na- „ vim quandam apud Aegyptios sacram, &c. Quae omnia refert Porphyrius, ad Anabonem Sacerdotem, quem in Civitate Dei Beatus Augustinus transcripsit. (lib. x. cap. xi.)

An VERNAE, arcanis illis sacris interessent? Obscurum est ex Horatio, qui postquam de Puerro VERNA loquutus antè fuerat, sic postea sermon. l. 2. satyr. vi. quandam describit coenam:

_____ *hospes,*
Continuatque dapes, nec non verniliter ipsis
fungitur officiis. _____

Quod alii quidem, *luxuriosè*, alii pro *adulatoriè* exponunt, quibus vivendi ars haec est. Sed tamen de VERNAE significatione, quae dubitationem non habet, in eam plerosque adduxit, qui, murmura cum secum, & rabiosa (ut Per- sius ait) silentia rodunt. *Servi itaque, domi nati*

VER-

VERNAE, & VERNACULI dicebantur, & procaciores plerumque erant, quia scilicet, ipsis plus, quam aliis indulgebatur. Plerisque tamen; *Servi sunt Domi nati, ex ancilla nostra, aut Servo.* At ego rem istam medullitus perceperam dum Juvenis Sacrae Scientiae laurea in Academia hac nostra donandus essem. Tum enim Cl. Felix Gaston, acerrimi judicii Vir, Sacraeque Theologiae Doctor, Professor, & Cenfor, concessit mihi praestantis doctrinae à se elaboratum opus in *Εὐαγγελία*, venustissimum id quidem, prout ejus omnia. Inquirens autem, quoniam ad circumcissionem Servi tenerentur, sic praefatur: *Atque imprimis supponendum moneo, Servos alios fuisse VERNACULOS, qui nempe domi nascebantur ex Servis: alios empticios, qui scilicet pretio empti, vel in bello capti erant: alios mercenarios, qui tametsi liberi, tamen ex mercede accepta, in Abrahae domo serviebant.* Haec est ut reor, penitissima VERNAE, & VERNACULI nomenclatura, quam postea Praeceptorem sequutus, excepit Vir Insignis Paschasius Sala, Praepositus Valentinus, Sacrarum Litterarum Interpres, meusque in hac Scientia Institutor. Praecipuis quoque Sacris ISIDIS praecedebat facer apparatus, tanta schematum diversitate, & ridiculis commentis instructus, quemadmodum, describit Apulejus: (l. xi.) Pompae magnae;

,, an-

„ anteludia votivis cujusque studiis exornata;
 „ facibus multi, purpuraque ludebant; alii bar-
 „ bitio hircino philosophum, plerique militem,
 „ venatorem, foeminam incessu perfluo, aucu-
 „ pem mentiebantur, &c. Jam vero, an ista
 à VERNIS praestarentur? Anceps profecto
 res, atque ambigua. Putaret quispiam à VER-
 NIS, cum pro Scurris eos usurpaverint Thomas
 Farnabius, Vincentius Colleffus, & Jacobus
 Facciolatus, qui omnes Martialis illud in Caeci-
 lium: (Epigr. lib. i. Epigr. xli.)

Urbanus tibi, Caecili, videris:

Non es, crede mihi: quid ergo? VERNA es,
sumpserunt pro Scurra impudenti, & procaci. Et
fortassis non abnuitt Martialis ipse, (Epigr. l. x.
ep. iii.) ad Priscum:

VERNACVLORVM dicta, sordidum dentem,
Et foeda linguae probra circulatricis.

Atque etiam Seneca, dum ita scribit de Cliente
 puero: *Apud proximum Circulatorem resedit, &*
dum vagus, atque erro, VERNACVLIS congre-
gatur & ludit. (De Benefic. lib. vi. c. xi.) Sce-
 nica haec erant, & CERERI, quae ipsa est
 ISIS, & Libero dicata, in quibus non minor
 furor, turpido proluxior, cum Mimus expone-
 bat adulteria, &c. (Minuc. in Octavio.) Propte-
 rea sic Gentes Tertullianus carpebat: *Dispicit e*
Lentulorum, & Hostiliorum venustates, utrum
Mimos, an Deos vestros in jocis, & strophis ri-
dea-

deatis : moechum ANVBIN :: Ita nihil est nobis dictu, visu, auditu cum insania Circi, impudentia Theatri, &c. (Apologet. cap. xv.) Post solemnia sacrificia, spectacula & ludos edere, choreas agere, & convivia celebrare, mos fuit Isiacorum, quibus Hebraei imitati, diutinae Moysis absentiae pertaesi, idem in deserto fecerunt. (Exod. xxxii. v. vi.) Profectò olim servos VERNAS ad contumeliosas argutias erudiebant. Unde Seneca: *Cogita filiorum nos modestia delectari, VERNVLARVM licentia, illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam.* (De Provid. cap. 1.) Idem Philosophus sic proprius de VERNIS, seu Mancipiis: *Eadem causa est, cur nos Mancipiorum nostrorum urbanitas, in Domino contumeliosa delectet: quorum audacia, ita demum sibi in convivas jus facit, si coepit à Domino. Ut quisque contemptissimus, & ut maxime ludibrio est, ita solutissimae linguae est. Pueros quidem in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam acuunt, & sub Magistro habent, qui probra meditatè effundant: nec has contumelias vocamus, sed argutias.* (libr. de Constant. Sap. cap. xi.) Videtur igitur in sacris ISIDIS, VERNAS, seu scurras *luisse*, quod apud Virgilium Eclog. vi. est choreas ducere, & Eclog. 1. instrumenta pulsare: quamvis Tertullianus, (lib. de Jern.) *ludere* de impuritatibus exponat. Si namque Mancipia instituebantur, quare non in

SO-

SODALICII? De iisdem, sic idem Seneca: *Transeo puerorum infelicium greges, quos post transacta convivia, aliae cubiculi contumeliae expectant.* (Epist. xcv.) Quae fortè conveniunt cum reconditis ISIDIS arcanis quibus Dea colebatur: omniaque hucusque deducta Martiali cohaerent, quemadmodum eum memorati viri intellexerunt.

At VERNAS, non fuisse scurras omninò putamus: nec enim id lapides silerent, cum tamen nihil adferant. Inscriptio Coloniae Patriciae hic sistitur:

D. M. S.
M. LVCRETIVS
VERNA
PATRICIENS.
ANN. LV.
PIVS. IN. SVOS.
H. S. E.
SIT. T. T. LEVIS.

Neque viri illi ornatissimi aberrassent, si super Martialis epigramma Domitium Calderinum consuluissent, optimum illum Martialis Interpretem. Igitur quodnam fuerit VERNARVM munus Sodalicii Valentini, post Sacrificulorum choreas inferius expendam. In pompis ergo ISIDIS, choreas duxisse Sacrificos, prorsus compertum est. Theletusa Ovidiana, sic loquitur ad Deae aram provoluta (ix. Metamorph.)

Te

Te Dea , te quondam , tuaque haec insignia vidi,
Cunctaque cognovi , sonitum, comitesque facesque
Sistrorum. —————

Vnde Martialis quoque:

Linigeri fugiunt calvi , sistrataque turba.

Et Papinius Stadius , Sylvar. lib. iii. v. 103.

Excipe multisono puppem Maroeotida sistro.

AEra vocat ad Deliam Tibullus quae in casto
ISIDIS fuerat:

————— *Quid mihi profunt*

Illata tua toties era repulsa manu?

Incedendi ordinem , colligas ex ejusdem Ovi-
dianae Theletusae, somnii imagine:

Cum medio noctis spacio sub imagine somni

Inachis ante torum pompa comitata Sacrorum

Aut stetit , aut visa est. Inerant LVNARIA fronti

CORNVA , cum SPICIS nitido flaventibus auro,

Et regale decus , cum qua latrator ANVBIS,

Sanctaque BUBASTIS , variisque coloribus APIS,

Quique premit vocē, digitoque SILENTIA suadet:

Sistraque erat, numquamque satis quaesitus OSIRIS,

Plenaque somniferis SERPENS peregrina venenis.

Quid omnia isthaec significant, habes in Plutar-
cho , de Iside , & Osir. & ut reor Exod. xxxii.

Stultum vulgus cum luminis defectum Luna
pateretur , laborare arbitrabatur , utque labori-
bus ejus consulerent , nocte sub dio aeneis , ac
ferreis vasis strepitum maximum edebant , ne

ea,

ea, veneficorum carmina audiret, quibus pati dicebant. (Plin. Hist. variis loc.)

Jam à Sacrificulorum choreis ad VERNARVM munus. Messium tempore à priscis aetatibus, pro optatis benedictionibus Coloni gratias referebant Baccho, & ISIDI, fruges lustrantes, & agros, descensum illis precantes, ut ex prioris Numinis cornibus uva penderet, CERESque spicis tempora cingeret. Luce tunc sacra, humus & Arator requiem capiebant: opus cessabat: jugis vincla solvebant, & ad praesepia plena stabant Boves capite coronato. Turba gaudio suffusa cernebat quemadmodum Sacer Agnus pergebat ad fulgentes aras Sacrificio offerendus. Purgabant agros, purgabant agrestes: precabanturque Deos ut mala suis limitibus pellerent, neve seges herbis fallacibus messem eluderet, neu Agna tardior timeret celeres lupos. Tunc nitidus rusticus jam confusus, plenis agris ingerebat ardenti foco grandia ligna: unaque turba VERNARVM saturi Colono bona signa ludebat, exque virgis arte compactis casas extruebat; quemadmodum iisdem ferè verbis refert Tibullus: (lib. ii. Eleg. i.) cujus habeo editionem insignis Vincentii Marinerii nostri manu notatam anno MDXCIV.

*Bacche veni, dulcisque tuis è cornibus uva
Pendeat, & spicis tempora cinge CERES.*

Tur-

Turbaque VERNARVM saturi bona signa coloni

Ludet, & ex virgis extruet arte casas.

Itaque priscis hifce ritibus inferviendis *ludendi bona signa*, VERNAE fortè in Sodaliciis instituebantur, ISIDEM ita COLENTES: quod etiam Martialis expressit loquens de Villa Faustini, lib. iii. Epigr. lviii.

Cingunt serenum lactei focum VERNAE,

Et larga festos lucet ad Lares silva.

Praesius. ISIS est Ceres. Coloni Valentini aratro terram subigebant fisione glebarum, & ad sementem praeparabant, adhibita Servorum praesertim tamen VERNARVM (qui servi profectò erant infimae fortis) nec parva manu. Non ergo mirum, si VERNAE agricolae, ISIDI reverentiam deferrent, in ipsa florentissima TVRIAE crepidine, quae ipsa erat Dea, si fidem Apollodoro adhibemus; quae cum Sole seu Libero patre fertilitatibus glebae & maturandis frugibus, vel nocturno temperamento, vel diurno calore moderabantur, ut Macrobius loquitur. (Saturnal. lib. i. c. xx.) Inde TVRIA formosus floribus, & roseis ripis, ut Claudianus cecinit, nempe glebae, vel terrae fertilitatibus. Qui tandem in *Honorii Panegyri*. sic de ISIDE:

————— *Nilotica sistris*

Ripa sonat —————

Quid tandem si VERNAE, Sodalicium colerent.

C

ISI-

ISIDEM conglobatim adeuntes; quae cuncta religione celebrabatur, quod esset *vel terra, vel natura rerum subiaccens Soli*, ut prosequitur Macrobius: (Ib. c. xxv.) ita conglutinata VERNARVM concordia? Impedirentur ne à Dominis? Imò sibi indulgentes experiebantur. Inscriptiones in Vrbe Roma, congestae ab Eruditiss. Antonio Francisco Gorio Florentino, anno MDCCLIII. hae sunt:

L. VI. ASIATICO. VIVIA. ASIA
VERNAE. SVO. CARISSIMO. FECIT
VIX. AN. II. MES. X

DIS. M
C. LISIPPVS. FECIT. SILVANO
VERNAE. SVO. CARISSIMO
VIX. AN. VI

DIS. M.
C. LISIPPVS. FECIT. APHRODISIO
VERNAE. SVO. CARISSIM. VIX
AN. I. M. VIII

ISAVRICAЕ. VERNACLAE
SVAE. QVAE. VIX. ANN. III
DIEB. XXIII. TI. CLAVDIVS
FORTVNATVS. FECIT

Ad res istas obeundas instituta erant SODALITIA.

CIA. *Sodalitates* (scribit Cicero sub persona M. Catonis) *me Quaestore constitutae sunt, Sacris Idaeis magnae Matris acceptis.* (de Senect. cap. 45.) Hae Sodalicia, seu Collegia plurima erant ad varios, fert idem Cicero, Deorum honores. *Sodales Titii*, ab Titiiis avibus dicti sunt, quas in auguriis observabant: propterea extra Urbem incolebant, & in Tuguriis certa auguria servabant, quoniam ad id à Pontificibus erant deputati, ut innuere videtur Varro: an propterea deputati VERNAE casas extruebant ut signa observarent? Si Appiano praestanda fides, *Collegium Corneliorum* fuit Servorum. *Sodales Marciani*, Capitolino auctore, Marci Sacra curabant. *Capitolinorum Collegium*, eorum Sodalium erat qui ludos Capitolinos exercebant. Et Domitianus Imperator, referente Suetonio: *Minervae Collegium instituerat, ex quo sorte ducti Magisterio fungerentur, redderentque eximias venationes, & scenicos ludos, superque Oratorum, ac Poetarum certamina* (In vita, cap. iv.) De hisce SODALICIIS, sic opportunè gravissimus Tertullianus: *Sed Circensium paulò pompator suggestus, quibus propriè hoc nomen pompa praecedit :: quanta praeterea Sacra, quanta Sacrificia praecedant, intercedant, succedant, quot COLLEGIA, quot Sacerdotia moveantur, sciunt homines illius verbis in qua Doemoniorum conventus consedit.* (De Spectac. cap. vii. & xi.) Mihi tamen non est cur tantope-

re VERNARVM SODALICIVM extollam, cum Cicerone auctore : *Collegia non solum quae Senatus tulerat restituta, sed innumerabilia quaedam ex omni faece Urbis ac servitio concitata; idque ad varios Deorum honores.* Inde collige Valentini SOLADICII antiquitatem, quam superius innuimus. Rursum, ex Aufonio Popma planius rem dabo. *Collegia* erant majora, & artificum opificumque omnium genera distincta habebant, ut Collegia fabrorum, figulorum, pistorum, aurificum, cerdonum, coriariorum, lictorum, viatorum, & similibus; in specie autem Sacerdotum, Praetorum, & Studioforum. *Sodalicia* erant minora, & plerumque in re leviori, non aliter ac sodales, qui ejusmodi familiares proprie denotant, quibuscum saepissime versamur, ludimus, edimus ac bibimus. Hujusmodi ergo erant VERNAE Sodales, qui ISIDEM, seu Lunam, Terram, ipsamve Naturam rerum, ut Macrobius ait, colebant.

Longè majori cultu Valentini SERAPIN Aegyptium Numen prosequerentur; quod ipse erat *Osiris Rex*, cujus uxor & soror ISIS. *Osiris* autem ipse *Sol*, *Bacchus*, *Liber Pater*, *Dionysius*, & Chanaanais BAAL. Juliani Augusti Numismata reperiuntur, in quibus vultum Imperatoris observes cum inscriptione Serapidis, cui à sinistris Isis effigies inhaeret, quibus imaginibus apud Aegyptios, SOL, atque LVNA

re-

repraesentari solebat. Vnde Macrobius: *Eidem Aegypto adiacens Civitas, quae conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur, Serapin, atque ISIM cultu paenè aegyptiae venerationis observat, omnem tamen illam venerationem, SOLI se sub illius nomine testatur impendere :: ex his apparet Serapis & SOLIS unam esse & individuum naturam.* (Saturnal. lib. i. cap. xx.) Huic Numini aram Valentini sacrarunt, cujus Inscriptio Patrum nostrorum memoria in platea AEdium ubi inclytæ nostrae Urbis valetudinarii, & infirmi curantur, adhuc supererat. En illam:

SERAPI
 PRO SALVTE. P.
 HERENNII.
 SEBRIGALLINI-
 VS. SER.

De *Serapi* plura congerere poteram ex Herodoto, Diodoro, Macrobio, praesertim ex *Panegyrico* Juliani Caesaris in Regem SOLEM ad *Salustium*, quem notis illustravit insignis noster Vincentius Marinerius. Sed non juvat amplius ludere. BACCHI Templū constitutum erat, ubi nunc AEdes S. Bartholomaei, in qua Ecclesia ego honesto Sacerdotio fungor. Anno MDCLXVII. dum terra effoderetur ad Templi amplissimi quod modò conspicimus fundamenta jacienda, antiqua rudera inventa sunt; parietes cum ca-

me.

mera ; altus puteus eximia virtutis aquae, fistulis plumbeis intra subterraneos parietes confidentibus ductae : Inter easdem macerías inventa quoque est nitidissimi marmoris columna confecta , sed ornata *hederæ* segmentis : Bacchi insigne , cui ut Eustathius , *hedera* tributa est. Insuper pavimentum , atris , quadratisque lapidibus stratum. Quae omnia manu sua scripta reliquit oculatus testis D. Josephus Ortinus , & Moles , qui fabricae praeerat , cujus apud me servo MS. Praeterea marmor inventum est venustissimum , paenè confectum , & attritum , in quo haec solum leguntur in exteriori Templi pariete:

D.

MARCIA:::.....

Quae certè, Templum, Sacrificia, & Bacchum referunt, si Vitruvio, & Jul. Frontino *de Aquaeductibus* insistendum sit. Hinc Urbis nostrae dignitatem perspicuam habere jam possumus, quippe quae tempore Romanae superstitionis, dum JESU-Christi Servatoris *Ευαγγελιον* nondum illuxerat , *Aesculapio* , *Fatis* , *Herculi* , *Serapidi* , *ISIDI* , *Baccho* , *Hammoni* , Tempa construxerat, si fas sit Marmoribus credere: an item *Dianae*? Mihi nondum compertum est. Igitur officio jam meo satis functus videor, qui elegantissimam Inscriptionem in lucem protulerim.

In-


Interea nos, nec SOLIS, nec LVNAE pulchritudine, & utilitate commoti, neque gentium errore decepti, AETERNVM DEVM OPTIMVM MAXIMVM adoramus, qui in ministerium & usum cunctarum gentium, quae sub Caelo sunt, ea sidera condidit, ab eoque, ut Patre luminum, bona cuncta praestolamur.

Celebriores TVRIAE, ubi inventa ISIDIS Inscriptio aquarum inundationes, quae agros occuparunt, confuderuntque, Urbique VALENTIAE ruinam minitatae sunt.

QVAE Romanorum temporibus contigerunt, si tamen; prorsus latent. TVRIA tunc inter laeva moenium, *dextrum flumen*, Valentiam parvo intervallo (Sallustii sunt verba) praeterfluebat: perque forum, quod nunc conspicimus, rerum venalium ductum, moenia vetusta, nec procul, portam Sucronensem, inter meridiem & occasum positam perstringens; eadem Romana tempestate per dextrum Urbis conspectum, sic jam *sinistrum flumen*, uti modò cernimus mare versus deductum est. Iam ad inundationes, quarum ab Urbis expugnatione memoria extat: aliarum enim tametsi anni non constent; meminere Privilegia à Jacobo

bo I. Dominicanis Valentinis concessa XIII. Kal. Januar. anni MCC.LVIII. & Idibus Decemb. ann. MCC.LXXII.

I. An. MCCC.XXVIII. — IV. Kal. Octobris, seu die XXVIII. Septembr. Hanc indicat Marmor Turris S. AECaterinae juxta fluminis moenia, quod cum docto P. Francisco Martinezio, Mercedariorum Sodali unà trāscripsi, utinam benè, cum haectenus Longobardicos litterarum apices quibus illud constat, nullus eruerit:

*Çaltan y lo Riu à la Ciutat : die : 28 Setbre :
Lany de : mil : trecents : 28 : A dihuít da
Feb any : nou comensa a puja : aquesta Torra :
are ja Apellada Santa Caterina M. *

II. Anno M.CCC.XL. pridie Nonas Octobris, hoc est, die VI. ejusdem mensis, ita Turia auctus post horam tertiam pomeridianam, ut Sacrosanctum JESU-Christi Corpus, & Sacrum Lignum Crucis ab Ecclesia Cathedrali suppliciter per vias publicas delata fuerint, divinae indignationis placandae gratia. (Tabularium Urbis, & Adversaria ex coaevis, Francisci Diagi, & Onuphrii Esquerdo, apud Cl. Gregorium Majansium.)

III. Anno MCCC.LVIII. — XVI. Kal. Septembris, hoc est, die XVII. Augusti feria VI. ita flumen auctum est, ut pontes dejecerit, & prae-

praeterea fere mille domus. Perierunt CCCC. Viri, atque mulieres, aut circiter. Hujus inundationis meminit Privilegium LXXXVIII. Petri II. (in corpore Privil. fol. 125. & *Adversaria Diagi, & Esquerdo.*

IV. Anno M. CCCC. VI. — III. Non. Novembris, idest, die III. Novembris, ita flumen increvit, ut ingressum fuerit in Trinitatis Templum, & aqua supra Altare ascenderit. (Annales antiqui Valentini MSS. qui extant in Bibliothec. Cl. Majansii, quorum nactus sum exemplar. *Adversar. Diagi, & Esquerdo*, quibus addi potest Surita, Annal. l. x. cap. lxxxi. itemque ejusdem Indices latini, pag. 398.)

V. Anno M. CCCC. XXVII. — VIII. Kal. Novembris, nempe die Sabbati XXV. Octobris, adeò auctum fuit flumen, ut everterit binos arcus pontis Serranorum, & juxta Templariorum pontem hominem arripuerit, qui supra lignum naves versus delatus: eumque vivum navis quaedam recepit. (Praedicti Annales Valentini MSS.)

VI. Anno M. DXVII. — V. Kal. Octobr. nimirum XXVII. Septembr. Hujus meminit Inscriptio quae eunctis objicitur in angulo Sacrarum Virginum SS. Trinitatis, incisa S. C.

HVCVSQ. SVPRA HOMINVM

MEMORIAM INVNDANS

TVRIA MAXIMA VRBI REGNO-

Q.

Q. VALENTIAE DAMNA INTVLIT
ANN. M. D. XVII.

QVINTO K. OCTOB.

HORA POST MERID. III.

Hac inundatione, omnium maxima, antiquus pons juxta portam Urbis praecipuam medianam inter duas praecelsas turres, quae Serranorum, idest, Montanorum dicuntur, eversus est: magnae strages contigere, quae recensentur in *Adversariis* Diagi, & Esquerdo, in Joannis Timone-dae *Memoria Valentina*, & in Codice MS. *Rerum antiquar. Valentiae*, quem mihi dedit Illustris Vir Vincentius Frigola, & Brizuela, Canonicus, & Archidiaconus Valentinus. Hocque anno MDXVII. cum Senatus, pontem è fundamentis ante portam extruendum curaret, Joannes à Celaya Doctor Theologus Parisiensis, & Valentinae Academiae perpetuus Rector, subrusticum suum & illiberalem, bonaque studia averfantem animum satis ostendit. Indigne enim ferens à Christianis hominibus cum aestimatione tractari Romana marmora horridae vetustatis rubigine obsita, eorumque Inscriptiones consuli, Seviris Valentinis suavit, ut quae hujusmodi monumenta prisca aevi tota Vrbe reperirentur, hujus pontis, quod & obtinuit, fundamentis substernerent: quod Viri omnes eruditissimi aegrè tulerunt. (Gaspar Escolan. *Hist. Valent.* l. iv. c. xii. col. 773. Nicol.

col. Anton. t. 1. *Bibl. nov.* pag. 593. Cl. Gregor. Majansius, lib. 1. *Epistol. in calce Epistol. xxiii.* aliique.) Inscriptio post absolutum opus infra loculum Sanctiss. Crucis posita eandem refert inundationem:

QVVM INGENS AC PENE INCREDIB.
TVRIAE INVNDATIO ANTIQVVM
PONTEM EVERTISSET. HVNC E FVN-
DAMENT. EXTRVENDVM CVRAVE-
RVNT OLF. A PROXITA, EX CLERO.
GALCERAN. CARROZIVS PARDVS EX
EQVIT. MICHAEL ROSIVS, EX CI-
VIB. OPERIS MVRORVM CVRATO-
RES. PROBANTIBVS. G. PH. CRVI-
LLES. F. EGIDIO. M. BOV. G. MARC.
B. VERNEGAL. M. BERENGARIO. VR-
BIS DEFENSOR. IVRAT.

HVMANAE SALVTIS AN. MDXVIII.

VII. Anno M. DXL. — pridie Nonas Octo-
br. scilicet VI. Octobr. (Tabularium Urbis.)

VIII. Anno M. DLXXXI. (Advers. Esquer-
di ex coaev.) Ad huic, aliisque irruptionibus
obsistendum, Valentinus Senatus pontem Maris,
uti vocant, inchoavit.

IX. Anno MDLXXXIX. Plurimae Inun-
dationes evenerunt, quas ex coaevis memorat
Josephus Lupus, *in Statutis Murorum, Cloaca-
rumque.* (pag. 401. 405. 409.) Propterea in-

coe-

coeptum jam pontem Maris Senatus Valentinus
absolvit. Inscriptio in pontis loculo:

S. P. Q. V.
 QVOD VETEREM PONTEM INVN-
 DANTSAEPE TVRIA INTERRVPISSET,
 HVNC AB ALIIS IAM PRIDEM IN-
 CHOATVM , AD MAIOREM EORVM
 QVAE IN VRBEM E MARI COMPOR-
 TANTVR COMMODITATEM , PERFI-
 CIENDVM CVRARVNT IACOB. SAPE-
 NA CONS. F. BARTHOLOM. SERKA-
 NO ABBAS VALDIG. MOENI. REFI.
 CVRA. PRO ECCLES. ORD. CHRIS-
 TOPHOR. PEREZ DE ALMAZAN CONS.
 AMBROS. ROCA DE LA SERNA EQVES
 MOENIVM REFI. CVR. PRO EQVES.
 ORD. HIERON. SARZOLA. LVDOV.
 HONOR. FORES, THOMAS THVRV-
 VIO, MICHAEL. IOAN. CHAMOS CONS.
 PET. GREGOR. CALAHORRA PRO
 REGA. ORD. MARCVS RVIZ DE BAR-
 ZENA RATIO. VRB. PRAEFEC. PET.
 DASSIO EQVES TRIBVN. PLEB. AN.
 MDLXXXVI.

Ob eandem causam moles ingens cum Inscrip-
 tione extracta est , in Urbis ipsis moenibus è re-
 gione fluminis inter portam Trinitatis, & Tem-
 plariorum Turrim. Ecce Marmor:

TVRIA DVM SCISSIS IRRVMPIT MOENIBVS
VRBEM EXTRVIT HANC MOLEM NOBILIS IS-
TA COHORS. SIMON ROS CONS. EGI RODA
CANONICVS ADMINISTER. CLERI. PETRVS
ANTON. MATTHEV. CONS. DON IOAN. DE
VILARAGVD ADMINISTER. ORDIN. MILIT.
PET. CONTAN. DE SOLER. GASPAR GRANA-
DA. IOAN. BAP. COLOM. M. ANTON. GAMIR.
CONSS. FRAN. GARCIA. I. C. ADMINISTER.
ONOPHRIVS MARTORELL QVAESTOR. PETRVS
DASSIO TRIBVN. PLEBIS. ANNO MDCII.

X. Anno MDCLI. quo fames dominata
est. Irruptio ingens quam descripsit oculatus te-
stis Dr. Vincentius Marefius, qui, ut prodit,
Valentiae tunc aderat. Hac inundatione illatae
sunt agris, oppidisque Vicinis innumerabiles
strages, quae late referuntur in *Adversariis* Onu-
phrii Esquerdo.

XI. Anno MDCLXXII. Similis inundatio,
quam idem, ut testis, Auctor descripsit.

XII. Anno MDCLXXX. — VII. Kal. Nov.
seu XXVI. Octobr. Hanc Inundationem def-
cripsit ut testis D. Vincentius Gazullius, J. V.
Censor, in *Memor. Valent.* cujus habeo MSS.
Codices.

XIII. Anno MDCCXXXI. — XVI. Kal.
Octobr. nempe XVI. Septembris hora post me-
ridiem III. Inundationem celeberrimam omnes
conf-

conspeximus : ingentia mala non solum intulit agros confundens, & innumerabilia averruncans, sed terrorem incutiens, cum omnes haeremus attoniti undarum murmura audientes, horrendumque timentes aquarum fragorem. In ingressu Atrii Franciscanorum Excalceatorum extra Urbem, memoria haec observatur:

Dia 16. de Setiembre 1731. de 3. à 4. de la tarde, saliò el Rio de madre tan formidable qual nunca avian visto los nacidos : fueron muchos los estragos que causò su furiosa avenida, inundò el Convento : subiò el agua à esta raya.

Praeter auctores coevos, quos dedimus, ex Codicibus *Manualibus*, qui in publico Civitatis Tabulario adservantur, memoratae inundationes constant. Et ne quid desit quod Turiam referat, (*amnis, Qui roseo cursu felicem interluit oram*) Inscriptionem subjicio recentem, qua antiquam fluminis redundantiam, quae nullo nititur vetusto monumento, probare quidam, at frustra fatagunt. En illam in loculo moenium fluminis ad laevam, non longe à porta Serranorum, si dexteram versus pergas.

S. P. Q. V.

SISTE VIATOR, ET TVRIAM IMITARE OSCVLA LIBANTEM FOELICI RIPAE, QVAE SACRAM COELESTIS SERVATORIS IMAGINEM, SALVTIFERI CRVORIS IN BERYTO VRBE PRODIGAM, ADVERSO PELAGI, ET FLVMINIS ALVEO MIRABILITER APELLENTEM, DIVINI AMORIS PIGNORE RECEPIT, ANNO MCCL. POSTERIS CONSIGNANT TAM SINGVLARIS BENEFICII GRATAM MEMORIAM D. ONVPHRIVS VINCENTIVS DE IXAR, ET ESCRIVA, COMES ALCVDIAE, ET GESTALGAR, PRIM. MILITVM COS. D. GASPAR GVERAV DE ARELLANO, CAN. VAL. MOENIVM PRAEFECT. PRO BRACCH. ECCLES. VINCENTIVS FELIZES, I. CIVIVM COS. D. XIMEN. PEREZ MILAN DE ARAGON, MARCH. ALBAYDAE, PRO MILIT. BRACCH. PRAEF. D. PHILIPP. MARTINEZ DE LA RAGA, II. MILIT. COS. CHRYSOSTOM. POR-

PORCAR, II. CIV. COS. D. FRANC.
 LLORIS DE LA TORRETA, CA-
 NONIC. FABR. NOVAE PRAEF.
 IOAN. VERDEGUER, ET HIERO-
 NYM. PACHES, III. ET IV. CIV.
 COSS. IOANN. MIQVEL CIVIS, I.
 V. D. PRO REG. BRACCH. PRAEF.
 ALEXIVS LLOBREGAT, CIVIS, RA-
 TION. PRAEF. IACOB. NICOLA.
 DEONA, ET ONVPHRI. ESQVER-
 DO CC. VRB. SINDICI. MICHAEL
 HIERONYM. LOP, V. I. D. ADVOC.
 VRB. ET FABR. ANNO
 MDCLXXXVIII.

En inquam, ad firmandam rem antiquam,
 recentem praeteriti labentis saeculi Inscriptio-
 nem. Ex Bibliotheca nostra, pridie Nonas De-
 cembris, Anno MDCCLIX.

Pag. 10. lin. 23. pro hac V, irrepsit haec U.

Valencia, y Febrero 6. de 1760.

Concedese licencia para imprimir este
 Papel, con la Censura de Don Gregorio
 Mayàns.

Caro.



NALES

TURIAM

ARMOR

1759

